

Die Urkunden Karls des Großen, 128

Karolus gratia dei rex Francorum vir illuster omnibus agentibus nostris tam praesentibus quam et futuris iuvante domino, qui nos in solium regni instituit. Si petitionibus servorum vel monachorum domini, pro quod eorum quietem vel iuvamen pertinet, libenti animo obaudimus vel ad effectum in domini nomen mancipamus, regiam consuetudinem exercemus et nobis ad laudem vel stabilitate regni nostri in domini nomen pertinere confidimus. Ideoque venerabilis [vir] Ebroinus abba de monasterio Anisola, qui est in pago Cenomannico constructus, ubi sanctus Charilefus in corpore requiescit vel ipse abba cum congregatione monachorum sub sancto ordine conversare videtur, missa petitione clementiae regni nostri expetiit, ut eum vel ipsum monasterium una cum omnibus rebus vel homines suos, quod praesenti tempore habere videtur aut inantea a deo timentibus hominibus fuerint collata aut condonata, amicis gasindis susceptis vel qui per ipsum monasterium sperare videntur, unde legitimo redebit mitio, sub sermone tuitionis nostrae vel immunitatis ipsius monasterii vel mundeburdo filii nostri Karoli [recipere deberemus], qui causas ipsius abbatis vel monasterii sui habet in tuitione receptas; cui nos hoc gratanti animo praestitisse vel in omnibus recepisse cognoscite. Quapropter [per] praesentem decrevimus ac iubemus praeceptum, ut neque vos neque iuniores successoresque vestri nec missi de palatio nostro discurrentes, ut inspecta ipsa priorum regum auctoritas declarat, nec ullus quislibet de iudiciaria potestate in vicis aut in villas ipsius monasterii ad causas audiendum nec ulla inferenda exactanda vel freda exigenda nec fideiussores tollendos nec mansiones aut paratas faciendas nullus episcopus nec ullus comes nec iuniores eorum nullas redibitiones ad requirendum ibidem ingredi non praesumant, sed sicut ipsum beneficium antecessorum regum ad iam dicto monasterio usque nunc fuit conservatum, ita deinceps per nostram auctoritatem generaliter maneat inconvulsum, nisi ut liceat eis sub sermone tuitionis vel immunitatis nostrae et mundeburdo praedicti filii nostri valeat quietus vivere ac residere et die noctuque pro nobis vel stabilitate regni nostri et memorato filio nostro Karolo, qui eorum causas habet receptas, iugiter domini misericordiam et omnium sanctorum deprecari. Et si tales causas adversus ipsum monasterium aut ipsius abbatis ortae fuerint aut surrexerint, quas a vobis aut iunioribus vestris absque eorum iniquo dispendio terminatas non fuerint, usque in nostram praesentiam reserventur vel in praesentia filii nostri reserventur et ibidem finitivam per legem et iustitiam debeant accipere sententiam et unicuique de reputatis conditionibus iustitiam reddant et ab aliis simili modo recipiant. Et ut haec auctoritas firmior sit vel per tempora melius conservetur, manu nostra subter signaculis decrevimus roborare et de anulo nostro iussimus sigillare.

Signum Karoli gloriosissimi regis.

Gislebertus advicem Radonis recognovi.

Data sub die XV kal. decemb. anno XII et VI regni nostri; actum Vurmatia civitate; in dei nomine.